VERAE NOTAE ECCLESIAE, SVNT, VISIBILIS QVIDEM, SYNCERA

verbi prædicatio, & Sacramentorum administratio:
Inuisibilis autem, fides, spes, charitas.

O Vtinam in cœtu hoc jam Bellarminus adesset,
  Efferretque animi pulchra trophæa sui.
Ni mens surda nimis, nimiumque astricta Latino
  Pontifici, si non victus, at ictus erit.
Me certè fateor doctrinæ atque artis egentem:
  Sed Christus vires Martis, & artis habet.
Ergo notas ter quinque tuas, fortissime scriptor,
  Lector, & auditor, discutiamus ait.
Prima nota est nomen, Romana Ecclesia dicor:
  An nullum in tanto nomine numen erit?
Nomina non vrgent, quia vano nomine gaudes,
  Et nullum, in vano nomine, numen erit.
At vestram Romam duratio temporis ornat?
  Tempus inops veri, testis, an hostis erit?
Sed variæ gentes ad vos, atque agmina currunt:
  Roma caput mundi, jura, fidemque tenet.
Non numerum Christus, sed vim; non agmina quærit,
  Sed mentes: paucis semita vera patet.
Roma Petri sedes, pietas manavit ab illo
  In successores, cum pietate fides?
Iudæi hoc proprijs olim dixere Prophetis:
  Sed tamen erroris damna tulere sui.
Non sedem sequitur pietas, non septa domorum
  Relligio, cathedram non amat alma fides.
Non vos Calvinus, sed & ipse Petrarcha refellet,
  Dicier hoc vno penè Propheta potest.
O meretrix Babylon, Satanæ devota, ferarum,
  Larvarum, ac lemurum fœda, cruenta, domus.
Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes:
  Esse putes illo Tartara dira loco.
At Romam vestram miracula multa coronant?
  Hisce fidem Satanas conciliare potest.
Sed vestram sedem dulcis concordia munit?
  Falsum est: Papicolæ schismata tetra fovent.
Ast olim Christi Romam doctrina beavit?
  At nunc hanc sedem terror & error habent.

Ergo Evangelium, legemque, & mystica sacra,
  Has Christi recipit, turba sacrata, notas.

VNICVIQVE ECCLESIAE LIBERVM EST POLITIAE FORMAM

instituere sibi aptam, & vtilem.

COElica progenies, quæ Christi fertur ovile,
  Quæque sui Domini nomen, & omen habet;
Legem, Evangelium, solidæ mandata salutis
  Servat, & innocua munera pacis amat.
At ritus varios, vario pro more locorum,
  Suscipit, hos subeant mitia corda, docet.
At disciplinam præscripsit Spiritus vnam,
  Omnibus in populis, omnibus esse locis?
Non reor, hæc non sunt solidæ documenta salutis,
  Non ita Scripturæ, scripta verenda, docent.
Timotheus legat, effundat præconia Christi,
  Et pura tractet mystica sacra manu;
Hæc æterna manent: sed mos, & forma regendi,
  Pro gentis genio mobilis esse potest.
Non Anglos vrget Germanica forma regendi,
  Quid Galli faciant, viderit ipse locus.
Servit in Ægypto, nunc cum Salomone triumphat,
  Nunc vaga, nunc fixa est, sancta caterva Dei:
Nunc Nero sanguineis hunc cœtum comprimit armis,
  Nunc Constantini visque, manusque beant.
Annè recordamur Mariana tempora cladis,
  Nunc sub vexillis, Elisabetha, tuis?
Non eadem ratio est, cùm sancta Ecclesia luget,
  Et cùm lætatur flore beata suo.
Ergo pij fratres immitia vulnera belli
  Linquite, nam Christus munera pacis amat.
Nec cœtus sacros sævissima turbet Alecto:
  Findere vipereis morsibus illa solet.
Nec sacros cœtus violet discordia demens:
  Non amat has rixas, non amat, alma fides.

Christi igitur voces Aaronis virga sequatur:
Sed sit pro vario libera more loci.